

veritate, ut tenetur ex suo officio, volensque quantum in se est tollere malam famam, quia videbatur per aliquos occasione hujuscemodi diffamari, volens uti veritate, ut verus, & bonus, & fidelis Notarius ex officio suo tenetur, volens famam suam veraciter serenare, & legitime conservare, ut possit ora male loquentium, & referentium claudere, suo posse dixit, & protestatus fuit in presentia Domini Episcopi ante dicti, & testium predictorum, quod ipse bene, perfecte, veraciter, & integre prædictum instrumentum in publicam formam redegit absque ulla diminutione in aliqua sui parte, & secundum quod per D. Ottolinum Ghisbertum tum consiliarium, & directorem dicti Domini Episcopi die, loco, & millesimo predictis fuit supra dictatum, & quod ex D. Ottolini dictamine veraciter, ut præmittitur, & perfecte duo, exinde instrumenta ejusdem tenoris in publicam formam redegit, quorum unum reddidit, & tradidit Domino Episcopo supradicto, aliud vero voluit, & obtulit sæpe, & sæpissime reddere, & tradere integrum, verum, & incorruptum dictis DD. Marchionibus de Ponzono, qui numquam illud recipere voluerunt. Imo, ut dixit, & protestatus est dictus Joanninus Notarius dicti DD. Marchiones de Ponzono plusquam XXX. vicibus, vel circa miserunt prædicto Notario, ut ad ipsos iret, dicentes ei multa verba, & inter cetera dicebant in dicto instrumento debere contineri multa alia. Qui dictus Joanninus, ut asserit semper eis respondebat se possuisse in dicto instrumento juste, & legaliter quidquid debuerat, & secundum quod fuit ei præceptum, nec aliter posset facere cum honore suo, & honore Notariæ, nec aliud ponere in ipso instrumento ad instantiam dictorum DD. Marchionum, nec etiam ad instantiam dicti Domini Episcopi, quia si hæc faceret, faceret contra officium Notariæ, & debitum rationis. Et omnia suprascripta dixit, & protestatus fuit dictus Joanninus Notarius ad æternam rei memoriam, ut innocentia sua, & etiam dicti Domini Episcopi super prædictis cunctis appareat evidenter. Et exinde dictus Dominus Episcopus, & dictus Joanninus Notarius præceperunt fieri publicum instrumentum per me Franciscum Novellum Notarium infrascriptum semper dictandum, & meliorandum, quoties fuerit opportunum ad consilium unius sapientis, vel plurium. Ego Franciscus Novellus de Tertio Imperiali auctoritate Notarius, scribaque curiæ Domini Episcopi Aquensis his omnibus interfui &c.

*Aliud instrumentum huic omnino simile subjungebatur in charta ejusdem anni, & diei rogatum a Notario Henrico de Rota de Incisa in loco Incisæ ad requisitionem, & instantiam DD. Oddoni, Gulliermini, Alberti, & Johannelli Marchionum Incisæ coram testibus Jacobo de Landulphis de Papia jurisperito, & potestate Incisæ, Johanne de Judice Notario, Nicolino de Verzario de Papia Notario, & Bertolla Bolla nomine communis Incisæ, quod ob omnimodam similitudinem cum præcedenti instrumento hic omittitur.*

*Jura Episcopi in Cavatorio. Ex Tabul. Episcop*

MCCCLI.

302

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLI., indictione IV., die tertia martii in Cavatorio, scilicet in platea communis dicti loci, presentibus egregio viro D. Oddonino Marchioni Incisæ, Trombetta de Incisa, & D. Rufino Archipresbitero plebis de Ponzono testibus vocatis, & rogatis. Congregati in unum in platea prædictæ specialiter pro infrascriptis agendis Jordanus de Jordanis Castellanus dicti loci pro Rev. in Christo Patre, & DD. Guidone Dei gratia Aquensi Episcopo, & comite Domino generali loci prædicti tam in temporalibus, quam in spiritualibus, & infrascripti homines, & capita domorum dicti loci ante presentiam dicti Domini Episcopi dicentes, asserentes, & protestantes, atque confitentes dicti homines omnes, & singuli esse, & esse debere, & antecessores eorum fuisse semper, & immediate homines, & subjectos præfati Domini Episcopi, & Aquensis Ecclesiæ, & se esse, & semper fuisse a tanto tempore citra, cujus contrarii memoria hominum non habetur sine eo, quod tenerentur, vel teneantur de fidelitate, vel homagio alicui domino, vel personæ, præter quam dicto Episcopo supradicto, & Aquensi Ecclesiæ, humiliter, & instanter supplicaverunt Domino Episcopo supradicto, ut quendam gridam jamdiu factam in dicti loci Cavatorii de mandato dicti Domini Episcopi ad supplicationem, & requisitionem hominum de Cavatorio anno Domini MCCCXLV., indictione XIII., die I. mensis junii continentem, quod aliqua persona de Cavatorio, vel quæ habitet Cavatorii non audeat, vel præsumat vendere, vel aliquo modo, seu ingenio alienare alicui personæ aliquam domum, sedimen, terram, vel possessionem, quam habeat in loco prædicto, vel districtu sine licentia, & voluntate dicti Domini Episcopi, vel ejus Castellani sub poena lib. L. Januensium pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, & amissionis rei venditæ, & rerum venditarum sine licentia prædicta. Qui Dominus Episcopus supradictus annuens supplicationi suorum bonorum hominum prædictorum visa dicta grida alias de præmissis facta, viso, & considerato mature ordinamento confirmavit, & approbavit gridam prædictam, & ei consensit, & confirmavit, & approbavit præsens statutum, & ei consensit, & omnibus, & singulis supradictis suam, & Aquensis Ecclesiæ auctoritatem interposuit, & decretum, committens, atque præcipiens ibidem, & in presenti de voluntate omnium, & singulorum hominum infrascriptorum Stephano de Vineis nuncio, & jurato dicti Domini Episcopi, & communis prædicti, ut de mandato ipsius Domini Episcopi alta, & publica voce proclamet ea, quæ continentur in ordinamento prædicto in locis ubi sunt aliæ gridæ Castellanorum, & officialium dicti Domini Episcopi fieri consuetæ, ut nemo prætextu ignorantie a præmissis se valeat excusare. Nomina vero hominum in dicto consilio existentium sunt hæc: Petrus Picatus, Enricus Auricula, Joannes Fratus, Fergorius de Verdesio, Paghitius Ferrarius, Jacobus Ot-